

1486 qua fancienda, juxta Romanæ Ecclesiæ ac sociorum fortunis, quantum in se fuit, cautum voluit. Rubertus continuo post pacem exauctoratus, cum suum equitatum in Galliam reducere statuisset, per literas & nuncios a Patribus petiit, ut liceret sibi cum duobus millibus equitum intra Veneti imperii fines se recipere. Quod ipsum cum Senatus nullo modo tribuendum censuisset, consiliorum inops, ac destituto similis, quum nullus esset locus, quo tuto divertere posset, hæretque interim vestigio Alphonsus, qui citato agmine eum abeuntem in Flaminiam usque fuerat infecutus, sine aliquo majore certamine, copias quascunque secum habuit, hosti in fidem recipiendas reliquit: ipse paucis comitatus celeri cursu in Ravennatum fines se recepit. Hunc exitum habuit celebris illa Ruberti & filiorum ex Gallia ad Romanum bellum profectio: de qua non tam hæc breviter referenda duxi, quod ad eam diem ille Venetum stipendium fecisset; quam ut Venetorum constantia, ac fides nota esset. Quippe, qui quum per occasionem Ferdinandi Regis domestico bello, ac per hoc gravissimo impliciti, opes facile aut evertere, aut certe in discrimen maximum adducere potuissent, si ejus belli partes, ad quod amplissimis invitabantur conditionibus, sequi voluissent; ne tamen aliquo modo fædus violarent, pertinaciter ab omni injuria abstinerunt.

*Maximilianus Romanorum Rex declaratur.*

Dum igitur hæc, quæ dixi, circa urbem gererentur, ex Gallia allatum est, Maximilianum, Fæderici Imperatoris filium, Romanorum Regem declaratum: quam nominis, Romanæ civitati semper alioquin invisi, usurpationem jam inde ab ejus Caroli temporibus, qui Longobardicas opes in Italia afflixit, initium sumpsisse suspicari libet. Siquidem Pipinum ejus filium, regio nomine postea Italiæ præfuisse, plerique rerum scriptores prodidere; quum pater interim Imperatoris nomen obtineret; atque ita factum, ut procedente tempore non solum Italiæ, sed Romanorum quoque Rex sit dictus, qui ea potestate, qua ille olim, emeretur. Duxerat Maximilianus Caroli Belgæ-